

PROPHETIA DANIELIS.

Argumentum Primi Capitis.



DESCRIBIT Diuinus vates Ioacimi Iudæorum regis calamitatem, vt eorum mentionem faciat, qui fuerunt eius tempore à Iudæa in Chaldæam abducti. Inter quos fuit ipse Daniel cum Azaria Anania & Misaele, qui eximie pulchritudinis & doctrinæ ornamentis exculsi, fuerunt iussu regis Nabuchodonosoris electi, vt Chaldaicis literis erudirentur. Cùm autem se ab epulis regis abstinerent, temperantiam omnium motionum moderatricem diligenter, & ad diuinum numen aspirarent, fuerunt ab eo admirabilem sapientiam consecuti. Inter eos primus sine controversia deferebantur Danieli, qui visionum ac somniorum intelligentia non solum ætatis illius viros, sed etiam antiquitatis memoriam superauit.

Caput Primum.

ANNO tertio regni Ioacim Regis Iuda venit Nabuchodonosor Rex Babylonis Ierusalem, & obsedit eam. Et tradidit dominus in manu eius Ioacim regem Iuda, & partem vasorum domus Dei: & asportauit ea in terram Sennax in domum Dei sui, & vasa intulit in domum thesauri Dei sui. Et ait Rex Assphenez præposito eunuchorum, vt introduceret de filiis Israel, & de semine regio & tyrannorum pueros, in quibus nulla esset macula, decoros forma, & eruditos omni sapientia, catos scientia, & doctos disciplina, & qui possent stare in palatio regis: vt doceret eos literas

& linguam Chaldæorum. Et constituit eis Rex annonam per singulos dies de cibis suis, & vino, vnde bibebat ipse: vt enutriti tribus annis postea starent in conspectu regis.

Explanatio.

ANNO tertio. Gubernante Romanam Tullo Hostilio tertio Romanorum rege, & Phaorte Medorum sexto eorum Imperij gubernaculum tenente, anno à mundi exordio 3295. iuxta Hebræorum rationem ad seriem, & 4556. iuxta Græcorum ad calculos reuocationem, teste Eusebio Cæsariensi in annaliū monumentis, obtinuit Iudææ regnum magnus ille Iosias, qui insigni in deum fide munitus, singulari iustitia præditus, admirabilibus virtutum ornamentis decoratus nomen suum æternitati commendauit. Tenuit principatum annis triginta & vno, & occisus est in Magedo, sepultusq; Hierosolymæ. Post eius è vita decessum regnauit filius eius Ioachaz tribus mensibus: post quem tenuit clauum regni frater eius Ioacim, qui antea Eliacim vocabatur, & vndecim annis præfuit regno. Hi duo filij Iosie à paterna gloria descuerunt, seseque turpi dedecore macularunt. Cùm Ioacim subiectus & tributarius fuisset Pharaoni Aegyptiorum regi, obsesus est à Nabuchodonosore Babyloniorum principe, ab eoque superatus: fuitque regni eius gloria ablata, & splendor extinctus. Lege quartum librum Regum, & secundum Paralipomenon, & Ieremie vaticinationem, & decimum Iosephi librum Antiquitatum Iudaicarum, quibus in locis hanc veritatis lucem literæ diuinæ & humanæ memoriæ prodiderunt. Elapsus erat annus tertius regni Ioacim, cùm Na

A bu.

4. Reg.
22. 24.
& 25.
3. Para.
34. 35.
36.
Iere. 1.
& 25.